Ad Cardinalitiam

Quaestio medica disceptanda matutinis Disput. in Schol. Medic.[rum] 325

die Jovis 25 mens. Octob. M. Joanne Martin M. Reg. Praeside.

An Malignis morbis Ignis et ferrum?

Morbus malignus, vitae periculum afferens, nec spem salutis admittens, nec tamen omnibus artis praeceptis cedens, similaris, organicus et communis; causas habet efficientes triplices, evidentes quas in subita aeris mutatione, anni tempestate inordinata, et in externa consistit: antecedentes quas in flava atraque bile, in pituita et sanguine putrescentibus, et in partem influentibus reponimus: et coniunctas quas tam in insita intemperie, quam in humore impacto reponimus: suscipientem vero venam, partem vero solidam corporis quae morbi subiectum est.

Similarem voco qui humidi innati substantiam depascit, dissolvit, extinguit. Depascit enim, vivus et carnem inducit; carnem inflammatio, quae est tumor dolorificus, renitens, rubens; et quae resolvi non potest, ut in suppurationem abit. Dissolvit gangraena ex magnitudine inflammationis nascens, necdum nata; tanto levior sphacelo, quanto inflammatione deterior; tanta interdum contagionis vi facile a parte male affecta in reliquum corpus serpat. Extinguit gangraena sicca, tumoris et inflammationis expers, quam pallor partis, ingens frigus, arteriae sine pulsu, nervi sine sensu produnt; posterior ab infectione spiritus, quam ab humoris corruptela deterior.

Organicum dico eum qui numero, magnitudine, et situ vitiatis partem, quae actionis sit causa, per excessum offendit. Excessum facit in numero digitus sextus prehensionem impediens, tertius testiculus ~~[illegible]~~ venerem irritans, calculus in rene, qui vesica periculosior; in hac post, in illo ante mictum gignitur. In magnitudine struma quae est induvata et praeter naturam conclusa glandula, in emunctoriis partium principum nata; a 14. ad 42. annum (quae aetas omnium morborum feracissima est) oriri solita: rarissime a 63. ad reliquum vitae tempus perseverans. Carbunculus et Bubo pestilentes cum acuta febre, syncope, palpitatione cordis, vomitu assiduo, inquietudine, virium prostratione; et ille quo maior, eo salutarior, atque id maxime si infra bubonem. Bubo quoque venereus non raro exitiosus, quem praenunciam ulcuscula reddidit, ex partium obscoenarum mutuo attritu orta, et virulenta gonorrhoea. Cancri Elephanti consequentes, non attingendus. In situ, Enterocele a quo Illiaca passio letalis, et Epiplocele saepe putridus.

Communem appello qui magnam et foedam continui solutionem affert, ipsam partium substantiam exedendo, excavando, depascendo. Exedit herpes a bile quidem simplici cutim, ab acriore vero etiam subiectas carnes, et profundas quasque corporis partes. Excavat nome quidem sine tumore, cum tumore phagedena et struma ulcerata contagionis non expers: lepra sive cancer ulceratus penitus immedicabilis, labiorum inversione, callo, doloris acerbitate horrificus. Item omne dysepulotum, telephium, et chironium ulcus.

Hi omnes morbi sublata per venae sectionem plethora, et per purgationem cacochymia, purgantur: cancri quidem superficiaria post excisam scalpello cutim, ossis corrupti abrasione quoad sanguis emanet: profundior aut malignior, vel in ulcus vertens, ferro mediocriter candente (nam ignis vehementior ossis separationem retardat) suppurans inflammatio, et utraque Bubo, incisione, et pyrotico. Gangraena humida et sphacelus, scarificatione, Aegyptiaci cum aqua vitae et ~~[illegible]~~ calcanthi (omnium remediorum optimi) applicatione: sicca, scarificatione, revocatione caloris per Mithridatium et theriacam admota; et si res postulat totius membri praecisione; cui laminas ardentes laqueorum ligaturis tutiores subiiciendas. Sextus digitus, tertius testiculus, calculus vesicae, enterocele, epiplocele, si minus nodo fruenda, sin secus ferro excidenda, extrahenda. Quod et in calculo renis praestandum si in dorso abscessum fecerit. Struma cum cysti maturanda, aperienda. Cystis eradicanda, aut cathaeretico absumenda. Carbunculus, ferro eximendus, aut igne exurendus. Cancer utrique, si curandus, herpes profundior, nome, phagedena, telephium, chironium, dysepulotum, quae siccantibus medicamentis non cedunt, ferro et igne profliganda.

Ergo Malignis Morbis Ignis et ferrum.

Harum Positionum Assertor Romanus Igneus Mondiderinus Ambianensis Rector Universitatis Parisiens. Anno 1601

F.M.P. BIBLIOTHÈQUE